



Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 11. De excellentia stellæ quæ magis apparuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](#)

Chalci-
dius in
Timæ-
um Pla-
tonis.

Imperf.
op. au-
thor. ho-
mil. 2.

Chalcidius autem ita ſcribit: *Est alia ſan-*
Etior & venerabilior historia, quæ perhibet de
ortu ſtellæ cuiusdam, non morbos morteſq; de-
nunciantis, ſed deſcenſum D E I venerabilis ad
humanae conuerſionis, rerūmq; mortalium gra-
tiam: quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpe-
xiſſent Chaldaeorum profeſtō ſapientes viri, &
coſideratione rerum geſtarum ſatis exercitati,
quæſiſſe dicuntur recentem Dei ortum; reper-
tāq; illa maiestate puerili, venerati eſſe, & vo-
ta Deo tanto conuenientia nuncupasse:

§. XI.

De excellentia ſtellæ, quæ magis apparuit.

Imperfecti operis auctor refert, Succel-
 fores Balaam, post oraculum eius de ſtella
 ex Jacob oritura, per ſingulas ætates, ali-
 quos deputaſſe, qui identidem cælum con-
 templarentur, vt ſtellæ huius ortum, in
 monte, qui Victoriales dicebatur, obſerua-
 rent; tandemque, cum hi ipſi Magi eius or-
 tum præſtolarentur, *apparuit eis, inquit,*
deſcendens ſuper montem illum Victorialem,
habens in ſe formam quaſi pueri paruuli, & ſu-
perfe ſimilitudinem crucis; & locuta eſt eis, &
docuit eos, & præcepit eis, vt profiſcerentur
in Indiam. Profiſcentibus autem eis, per bi-
ennium, præcedebat ſtella. & neq; eſca neq; po-
tim

tus defecit in peris eorum. Hæc incertæ fidei Cornel.
 esse, meritò iudicat Cornelius noster; & ex de Lap. in
 Apocryphis Sethianorum hæreticorum li- cap. 2.
 bris transumpta, ipse fatetur author, & do- Marth. S.
 cet Epiphanius. Itaque longè verosimilius Epiphan.
 est, non visam in stella imaginem, sed Ma- hæres. 26.
 gos, visa stella, secretiori cælestis Numinis S. Augu-
 afflatu motos, *hanc quasi cæli linguam loquen-* stin. serm.
tem audiri, eámque radios suos longiores, 2. de Epi-
 instar cometæ, versus Iudæam clariùs exten- phan.
 dentem, usque ad cunas Christi prosecutos
 esse. *Dedit aspicientibus intellectum, qui præ-*
sttit signum, ait S. Leo, & quod fecit intelli- Leōserm.
gi, fecit inquire; & se inueniendum obtulit re- 4. de E-
quisitus. Tam scilicet formosa claritas, tám- piphan,
 que extraordinaria fuit maiestas stellæ, ut
 facile Magi, iam antè de ea à Balaam mo-
 niti, aliquid eam diuini portendere arbitra-
 rentur. Certè in ea Angelus Magos duxit,
 sicut olim in *columna ignis* Israëlitas; quæ
 noua fuit, neq; antè, neq; postea visa; non,
 ut cæteræ, quarto Mundi die, sed, ipsa no-
 cte Natiuitatis Christi, vel creata, vel pro-
 ducta atque ex aëre condensato efformata;
 loco, motu, tempore (nam & interdiu lu-
 cebat) duratione (durauit enim tantum per
 13. dies) magnitudine, subductione sui, &

G

oston-

ostensione repetita , nec nō & statione (ste-
tit enim supra domum , vbi erat puer) ac
splendoris excellentia à ceteris astris discri-
minata. Nam hæc, vt S. Ignatius, qui pau-
S. Ignat.
epist. 14. lò pòst Christum vixit , testatur , *stella ful-
fit , exuperans omnes , quotquot ante fuerant :*
lux enim illius erat inenarrabilis , & stuporem
incusit omnibus aspicientibus eam rei nouitas :
*omnia autem reliqua astra una cum sole & lu-
na chorus fuere stellæ illius : ipsa verò claritate*
exuperabat omnes. Immo , ex mente Pru-
Prudent.
in Hyinn. dentij , erat *stella , quæ solis rotam vicit decore*
Epiphan. *ac lumine.* Idonea igitur fuit , quæ Magos
raperet in admirationem , & incitaret , vt
indagarent , quem portenderet.

§. XII.

*Magorum exemplo , per astra & creatu-
ras , ad Deum esse ascendendum.*

Hic mihi Magorum insignem pruden-
tiam , & plenum dignitatis & antiquitatis
exemplum perpendite. Quid enim , con-
specto hoc nouo tam splendido meteoro ,
fecerunt ? An id , velut stulti nautæ , ignem
fatuum , tanquam Castorem & Pollucem ,
fratres Helena lucida sidera , & Numinia ma-
ris ac tempestatum adorauerunt ? An Phæ-
bum sibi inde aliquem , aut Dianam ; aut ne-

potem